



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Biennii Peripatetici**

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

**Kretz, Marquard**

**Herbipoli, 1749**

§. 1. Quænam sint principia directiva lumine naturæ nota?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)



est; quoniam tamen ex supposito, quòd *Petrus* sit homo, & animal, *aliquis* sit homo, & animal, hinc minor singularis, & conclusio, quantum ad hoc, particularibus propositionibus æquivalent. Pluribus hæc omnia profequitur P. De delley *in summulis à num. 322. usque ad num. 340.* Et Casilius *summularum* cap. 6. 7. & 8. Lib. 3.

## ARTICULUS II.

*De Principiis Directivis Syllogismorum.*

559. **N**Ota. Principia extrinseca syllogismi vel directiva sunt, vel perfectiva. De Perfectivis articulo sequenti agetur, hinc directiva tantum examinanda sumimus. Pertinent autem ad principia dirigentia syllogismos. 1. Principia quædam lumine naturæ nota. 2. Regulæ generales syllogismorum simplicium. 3. Regulæ speciales cujusque figuræ. 4. Regulæ peculiare syllogismorum expositoriorum, ac compositorum. 5. Denique regulæ bonæ consequentiæ. Hæc omnia per distinctos §§. explicabimus.

## §. I.

*Quænam sint Principia directiva lumine naturæ nota?*

560. *Dico* 1. Principia, sive veritates infalibiles, lumine naturæ notæ, quibus syllogismus innititur, duplicis sunt generis; alia sunt logica, alia metaphysica, quæ ultimato terminantur in hoc: *Idem nequit simul esse, & non esse.* Principia Logica duo assignantur. Primum est, *Dictum de omni*, quod fundat syllogismos affirmativos:



tivos : Alterum est *Dictum de nullo*, quod syllogismos negativos dirigit. Duplex hoc principium explicatum jam est n. 22.

561. *Dico 2. Principia Metaphysica* pariter duo sunt ; unum affirmativum, negativum alterum. *Affirmativum* est : *Quaecunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* *Negativum* est : *Quaecunque distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se.* Sensum Principii affirmativi vide n. 22. Sensus autem principii negativi est iste : *Quandocunque duo ita se habent, ut unum identificetur cum tertio, alterum verò cum eodem tertio non identificetur, illa duo inter se identificari nequeunt.* v. g. *Quia Homo* cum tertio, scilicet cum *Animali* identificatur ; *Lapis* autem cum eodem tertio non identificatur, hinc *Homo & Lapis* identificari inter se non possunt. Adverte hìc, quòd hęc duo : *Distingui à tertio, & distingui in tertio* non sint idem. Nam duo distinguuntur *in tertio*, quando unum eorum cum tertio identificatur, alterum verò ab eo distinguitur ; Duo autem distinguuntur *à tertio*, si nullum eorum cum tertio identificetur ; ac propterà multa distincta à tertio, non sunt distincta inter se : v. g. *Homo, & Animal rationale* distinguuntur à *Ligno*, quin distinguuntur inter se.

562. *Obj. Lignum* identificatur substantiæ, & *Brutum* etiam identificatur substantiæ, nec tamen lignum, & brutum identificantur inter se, ergo primum principium metaphysicum infallibile non est. *R. D. ant.* *Lignum* identifica-  
tur



tur omni substantiæ. N. alicui substantiæ, quæ alia est ab eâ, cui identificatur brutum. C. Mirum proinde non est, quòd lignum & brutum non identificenter inter se, quia non identificantur eidem, sed diverso tertio. *Si ais: Rationale, & Risibile non distinguuntur inter se, licet distinguantur à lapide; ergo saltem principium negativum fallit.* R. N. *Conf.* supra jam insinuavi, aliud esse, distinguere *in tertio*, & aliud distinguere *à tertio*; proinde superius dicta hinc consule.

## §. II.

*Quænam sint Regulæ generales syllogismorum simplicium?*

563. *Nota.* Ex principiis, quæ paragrapho proximè superiori retulimus, deducuntur regulæ septem, quas Dialectici generales appellant; eòquod in quacunque figura, & quovis modo observari debeant. Dirigunt autem hæc regulæ potissimum syllogismos simplices, ac constantes medio communi. De his ex ordine agemus.

564. *Regula I. est: In Syllogismo tres tantum termini esse possunt.* Fundatur hæc regula in principiis metaphysicis: *Quæcunque sunt eadem unum tertio, &c. & Quæ sunt distincta in tertio &c.* In Syllogismo enim nil aliud fit, quàm quòd duo extrema connectantur inter se in conclusione, aut à se invicem removeantur, eòquod fuerint connexa cum medio in præmissis, aut ab eo remota. Ad hoc autem non nisi tres termini requiruntur. Multiplicat autem terminos formaliter